Agthe

Schedarum aristophanearum specimina tria.

SCHEDARUM ARISTOPHANEARUM
SPECIMINA TRIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

ORDINI AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM JENENSIUM

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS OBTULIT

CAROLUS AGTHE
DOCTOR.

JENAE
MDCCCLXI.

SCHEDARUM ARISTOPHANEARUM

SPECIMINA TRIA.

SCHEDARUM ARISTOPHANEARUM

SPECIMEN I.

Equit. II, Parab. 1264—1267.

Τί κάλλιον ἀρχομένοισιν ἢ καταπαυομένοισιν
ἢ θοᾶν ἵππων ἐλατῆρας ἀείδειν μηδὲν ἐς Λυσίστρατον,
μηδὲ Θούμαντιν τὸν ἀνέστιον αὖ λυπεῖν ἑκούσῃ καρδίᾳ; —

⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
–́ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
–́ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – – ⏑ – – – ⏑ –

Initium hi versus sunt parabasis Equitum alterius, quae, ut saepius fit, si praeter primam parabasin altera quaedam inest in fabula, ex septem parabasis integrae partibus quattuor tantum illas extremas continet: odam, epirrhema, antodam, antepirrhema *). In parabasi quum prae ceteris fabulae par-

*) Cf. Pax 1127 etc., Av. 1058 etc. Eodem modo se habet parabasis prima Avium a. v. 675, cui commation, parabasis propria et macrum deest, fortasse propter magnos illos chori cantus qui jam in iis quae antecedunt peracti sunt (340—459); illos poeta pro prima parabasi habuisse videtur. Praeterea meminisse hoc loco satis erit, etiam alias in Aristophanis fabulis interdum chori cantus inveniri qui cum sint conversiones ad spectatores, tali modo plus minusve speciem parabasis praebeant, ut in Acharn. 836—860, ibid. 1143—1174; in Nub. 1115—30; in Vesp. 1265—1291; in Av. 1470—93, ib. 1151—64 et 1694—1703 quid multa? in cujusque fere actus fine, postquam histriones recesserunt, chorus ad spectatores se vertit, ut nonnulla de

tibus poetae comica vis et ingenium elucet, tum in odis et antodis praecipue dignum hoc est admiratione nostra non solum propter hominum lepidam derisionem vel quidquid alia de re hoc loco poeta loquitur, sed etiam propter formam et universam harum parabasis partium rationem. Nam praeter artificiosam illam metricam responsionem non modo inter odam et antodam, sed etiam in ipsa oda et antoda, inprimis ingeniosissima *parodiae* adhibendae ratio hoc loco nos movet et delectat. Nam in omnibus fere odis et antodis aliorum poetarum, vel tragicorum vel lyricorum, dictis ac sententiis poeta utitur, quorum non solum metra sed etiam ipsa verba saepissime adhibet, ut interdum hoc loco Pindari carmina vel Aeschyli tragoedias doceri crederemus, nisi mox omnia propter ea quae sequuntur in risum moverentur. Tali modo saepe hic metra et dicta et verba invenimus, quae per se abhorrent a comoediae consuetudine. Quare si oda incipit, etsi scholiasta silet, tamen plerumque lyricorum vel tragicorum verba nos audire credere licet, quorum externa omnia diligentissime servantur a poeta, dum interiora prorsus in sui ipsius voluntatem quadranda curat. Sic etiam interdum comoedia, quae per se tantum τρόπῳ systaltico utitur, tamen nihilominus admittit dactylo-epitritos τρόπου hesychastici, quamquam hic a jocosa hilaritate et universa ratione comoediae prorsus abhorret. Rhythmus atque ceterae res metricae et musicae et saltatoriae omnes servantur, sed quaecumque illis verbis continentur omni modo sive addendo sive omittendo mutare poeta non dubitat, ut prorsus alia sit

---

qualibet re dicat. Sed de hoc alias: nunc illud satis est, non plane constare, quibus chori cantibus parabaseos nomen tribuendum sit, quibus non.

verborum vis ac sententia atque apud Stesichorum vel Pindarum vel alium, cujus verbis utitur.

Quaecumque modo diximus, ex ea oda, cujus initium huic disputationi praemissum est, apparet. Hic invenimus *τρόπον* illum hesychasticum, parodiam illam atque metricam responsionem non modo inter odam et antodam, verum etiam in oda ipsa et antoda accurate servatam, quod ex schemate infra posito cognosces:

3 3, 5 4, 5 4, 5 3, 3 5.

Neque vero hac de re fusius disserere nobis in mente est, sed partem tantum hujus odae, quam supra posuimus, tractare volumus, cum non satis dilucide adhuc enucleata esse videatur. Nam constructio atque collocatio horum verborum maximas difficultates viris doctis praebuit, nec nostris quidem temporibus interpretatores hujus loci errore vacant.

Initium capit poeta, teste scholiasta, a Pindari prosodio*) quodam usque ad *ἀείδειν*, sed se equites praedicare velle speciem praebens, repente ad Lysistrati et Thumantidis paupertatem inopiamque perstringendas se vertit.

Hanc esse sententiam hujus odae neminem interpretum atque lectorum fugit, sed haeserunt non ita pauci in singulorum verborum nexu et collocatione, neque usque ad hunc diem nobis ab editoribus satis recte hic locus expositus at-

---

*) *Τί κάλλιον ἀρχομένοισιν ἢ καταπαυομένοισιν*
ἢ βαθύζωνόν τε Λατὼ καὶ θοᾶν ἵππων ἐλάτειραν ἀεῖσαι.

⏓ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒

–́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –

(Boeckh. fragm. select. prosod. 2.)

que enucleatus esse videtur. Nam difficultas non in eo posita est, quinam sit sensus hujus loci, sed singula verba quomodo construenda sint, quaeritur. Auctor mali et erroris erat Pindarus, cujus verba nemo dubitavit, quin eodem sensu usurpanda essent, quo ipse iis usus esset; quo factum est, ut omnes commentatores eodem modo hunc locum interpretati sint. Itaque etiam recentissimus Equitum editor, Kockius, multitudinis judicio movetur, ut id rectum putet, quod ab omnibus laudetur. Te autem, candide lector, ejus judicio stare nolim. Tuo tibi judicio est utendum. Omnia bene se habent, dummodo respicias, comoediam docere atque hoc loco parabasin incipere, de cujus indole fusius disserere opus non erit. Saepissime omnes omnium temporum comicos invenies sententiis atque dictis uti aliorum virorum, id quod parodia vocatur. Cujus parodiae vis, ut supra demonstravimus, non solum in eo posita est, ut illa verba in alio sententiarum nexu a poeta comico adhibeantur, sed etiam in eo, ut ipsa verba alio sensu, alia constructione, alia verborum significatione usurpentur. Tali modo parodia inusitato modo verba, quae in omnium ore sunt, adhibens summam vim comicam praebet.

Quaecumque modo diximus, viros doctos qui ante Bergkium Aristophanem ediderunt, hoc loco fugisse videntur. Etenim omnes, qui fusius haec verba tractaverunt a scholiasta usque ad Kockium, eodem modo ea intelligenda esse censent, quo apud Pindarum. Accedamus ad Kockii interpretationem. Infra, ad v. 1266, ἐλατῆρας objectum ab ἀείδειν pendens non dicit esse, sed esse debere. Caussas non affert: fortasse res ita se habere ei videtur, quia apud Pindarum vox ἐλάτειραν objectum est. — Vellem me ex Kockio quaerere posse, quomodo ea quae sequuntur ei cum his Pin-

dari verbis cohaerere videantur. Nam si ἐλατῆρας objectum est, sic vertere debes: „*Was ist schöner etc., als die Lenker der schnellen Rosse zu besingen*,“ eodem modo, quo Pindarus haec verba usurpat. Atqui apud eum sententia post ἀεῖσαι finita est, apud Aristophanem non, qui verba μηδὲν ἐς etc. usque ad ἐκ. καρδ. cum iis quae antecedunt artissime conjunxit. Quae cum ita sint, neminem verba attento animo perlegentem fugiet, Aristophanem hoc loco ingenioso quodam modo, ut saepius, eam verborum constructionem quam illa ante habuerint, mutasse atque haec Pindari verba, quae in omnium ore fuisse nobis persuasum esse licet, nulla prioris sententiarum nexus ratione habita ita usurpasse, ut in ea quadrarent quae ipse dicere vellet.

Si commentatorum interpretationem sequeremur, ad μηδὲν ἐς Λυς. „ἀείδειν“ vel tale quid supplere vel, id quod idem est, ἀείδειν bis intelligendum esse dicere deberemus, quae res quamquam per se difficultatem non praebet, tamen hoc loco nullo modo ferri potest; nam tali modo verba construi nequeunt. Negligas scholiastae verba et, obliviscens poetam hoc loco Pindaricis verbis uti, adeas ad interpretationem. Jam intelliges, non male a nobis commentatores reprehensos esse, neque cur hoc loco ab eorum partibus stare non possimus te fugiet. Nam si Aristophanes ita loqui voluisset, ut illi volunt, post ἐλατῆρας particulam μέν, post μηδέν particulam δέ addere debuisset. Scholiasta his voculis μέν...δέ utitur, tamen errare videtur. Nam dicit ad v. **1268:** δεῖ οὖν, φησὶ (sc. Aristophanes) τοὺς μὲν ἱππέας ἐπαινεῖν, ἐκείνους δὲ τοὺς πένητας μὴ διαβάλλειν, ex quibus verbis etiam illum vocem ἐλατῆρας pro objecto habuisse colligi posse videtur. Eodem modo perperam dicit Beckius, e sensu ad ἐς Λυσ. supplendum esse εἰπεῖν. Illa

tempora profecto praeterlapsa sunt, quibus omnes difficultates levi quodam modo per ellipsin vel tale quid solvebantur. Nullus est hoc loco sermo de ellipsibus Sanctianis, quae satis diu ultimum refugium pristinorum grammaticorum erant; id tantum concedamus Beckio licet, non exspectatam esse horum cum antec. conjunctionem.

Res sic se habet. Objectum ad ἀείδειν est μηδέν, atque ἐλατῆρας grammatice hoc loco subjectum esse debet, a quo etiam λυπεῖν pendet. Tali tantum modo verba construi et intelligi possunt. Quare hoc dicit poeta: „*Quid pulchrius quam equites canere nil in Lysistr. neque Thum. dolore afficere?*" Noli objicere, tali modo verba sensu carere atque poetam ineptias agere. Per se intelligitur, quemque spectantium, simulac chorum incipientem illa verba τί κάλλιον ἀρχ. etc. audierit, statim recordatum esse illa Pindari verba, atque initio ea eodem modo intellexisse, quo apud hunc usurpentur. Sed uno spiritu chorus pergit canere μηδὲν ἐς Λυσ. etc. atque nunc omnes repente sentiunt, se Pindari verbis commotos poetae sententiam perperam intellexisse, quae sic intelligenda sit, ut supra exposuimus. Quare hoc loco vocem ἐλατῆρας a spectatoribus et pro subjecto et pro objecto habitam esse dicere possumus, quam si Romae (accipias exempli gratia quaeso Pindarum, Aristophanem et spectatores Romanos fuisse) chorus canere inciperet illam notissimam Pindaricam vocem: „*Quid pulchrius quam equites canere*" atque uno spiritu tunc pergeret: „*nihil in Lysistratum etc.*" In nostri sermonis consuetudine talis duorum accusativorum ambiguitas non inest. Nam poteramus vertere: „*Was ist schöner, als die Ritter singen nichts gegen Lysistratus etc.*", et id verbum esset e verbo, sed in consuetudinem nostram non caderet. Oraculorum vero

vaticinia quum semper ambiguitate quadam utebantur, tum hanc ipsam quoque de qua hic agitur saepius praebent, ut illud Pythiae: „Ajo te, Aeacide, Romanos vincere posse." — Tali modo in fabula docenda per hanc discrepantiam et per hanc inexspectatam verborum collocationem summa vis comica in hoc genere dicendi oritur. Haec est vis parodiae *)

Unum illud restat, ut sic ἀρχομένοισιν et ἐλατῆρας easdem personas significent; sed tibi ea quae supra exposuimus repetenti ne hac quidem in re difficultas inesse videbitur. Id facile concedimus, in oratione pedestri neminem ita loqui posse; etiam id concedimus, poetam ita non bene locutum esse, nisi verba ab alio poeta dicta repeteret. Sed per se constructio offensionem non praebet, id quod tibi elucebit, si ad ἀρχομένοισιν etc. addis „ὑμῖν" et ad ἐλατῆρας etc. „ὑμᾶς", cujus vocis ὑμᾶς appositio est ἐλατῆρας etc.

Id nobis refutandum esse non videtur, si quis contendat, nostram interpretationem sensu carere, nam tali modo nil cani. Num chorus nil canit in Lysistratum et Thumantidem? Quis nescit figuram illam rhetoricam, qua orator negat, se de quadam re quicquam dicere velle, se quandam rem commemoraturum? Nonne per hanc ipsam negationem res commemoratur? Eodem modo chorus laetatur, se nil in illos viros canere oportere; hac ipsa re jam aliquid cecinis-

---

*) In versibus antistrophicis antodae dubium non est, quin etiam parodia quaedam insit illorum Phaedrae verborum apud Euripidem (Hippol. 376 et 77):

ἤδη ποτ' ἄλλως νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ
θνητῶν ἐφρόντισ' ᾗ διέφθαρται βίος.

set, etiamsi non in sequentibus versibus plura de illis dicerentur. Etiam nos saepius, si novum et inopinatum quid dicere volumus, quod visum moveat, ita loquimur.

Quae quum ita sint, dubium non est, quin recte Bergkius (editio Aristoph.) atque Rossbach et Westphal (de arte metrica p. 452.) comma et Dindorfianum interrupti sermonis signum, si hoc dicere licet, deleant, quae a commentatoribus ad illustrandam eorum interpretationem post ἀείδειν posita erant, atque rectam interpretationis viam difficiliorem reddebant. Quibus deletis, nihil obstat, quin locum sic interpretemur, ut supra satis effuse exposuimus, neque Bergkius et Rossbachius cum Westphalo aliter de eo sentire videntur.

SCHEDARUM ARISTOPHANEARUM

SPECIMEN II.

De alterius ejusdem parabaseos partis ratione universa.

Etsi vereor, ne rem jam satis tritam denuo tractans non ita multa afferre possim, quae speciem novi praebeant, tamen iterum hac de re verba facere non dubito, quum non solum nonnulla habeam, quibus virorum doctorum judicium adhuc magis munire atque rem per se jam satis certam adhuc fusius enucleare possim, sed etiam quia alii in aliam partem peccavisse mihi videntur.

Verbis scholiastae, hanc alteram parabasis partem ab Eupolide confectam esse, commoti jam multi viri docti, Meinekius, Fritzschius, Bergkius, Struvius, alii de universa hujus parabaseos partis ratione verba fecerunt atque id jam satis firmaverunt, dubitari non licere, quin antoda et antepirrhema Aristophani abjudicanda essent. At quaenam sunt illa argumenta, quibus nisi tantam rem contenderunt? Exstant profecto; sed neque verba scholiastae per se et quaecumque aliis locis hac de re legimus, neque ea quae ego ex his septem parabaseos partibus demonstrare conabor, nisi cum scholiorum verbis et testimoniis conjunguntur, rem satis certam reddunt. Quare cum neutrum testimonium, neque scholia neque ipsa parabasis verba, per se sufficiat, tan-

tummodo et has causas externas et illas interiores si vera testimonia esse intellexerimus, illas conjungendo omnem dubitationem auferre possumus. Transeamus nunc ad singula.

Pluribus locis Aristophanes Eupolide usus esse arguitur, quae res primo obtutu nobis summo modo mira esse debet. Nam intelligere non possumus, cur tali modo poeta ille, quem ex poematis nobis superstitibus ingeniosissimum et verborum faciendorum peritissimum cognoscimus, aliorum poetarum ope usus sit. Quibus vero argumentis haec res ex veterum reliquiis firmari possit, reputemus. Inprimis Aristophanem non semper ipsum fabulas suas docuisse sed nonnumquam illas Philonidi vel Callistrato docendas tradidisse, ut mos erat poetarum, ex grammaticorum didascaliis comperimus. Cur hoc fecerit, ipse dicit in Nub. parabasi v. 530:

Κἀγώ, παρθένος γὰρ ἔτ' ἦ, κοὐκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν, ἐξέθηκα etc.

vel in prima Equitum parabasi v. 514 etc., vel in Vesparum parab. v. 1016 et seqq. quid multa? Nolumus omnes locos, qui huc pertinent, hic denuo ponere, quum jam satis ab omnibus viris doctis, qui huic rei operam navabant, exscripti sunt. Primum igitur juvenilis verecundia, quominus coram civibus Atheniensibus in conspectu omnium ipse de rei publicae statu vel alia de re ageret, eum impedivit, et Equites primam quam ipse docuerit fabulam esse constat. Omnes quae antecedunt Callistrato commendavit atque postea quoque hanc consuetudinem retinens passim fabulas suas Philonidi vel Callistrato docendas tradidit. Qua de re quum jam multum a v. v. doctis disputatum sit, licebit mihi hoc loco hanc quaestionem omittere, nam est multiplex neque in id quod nobis proposuimus cadit. (cf. Bergk. fragm. Ar.

p. 14—51; Struv. de Eupolidis Maricante p. 53—75). Satis erit scire, eos non, ut superioribus temporibus credebatur, tantum historiones Aristophanis, sed utrumque poetam comicum fuisse.

Jam videbis, apud comicos non inauditum quid fuisse, alterum alterius opera uti (cf. Bernhardy histor. lit. gr. ed. altera II, 2, p. 515). Tamen multum interesse inter Callistratum vel Philonidem adjutores et eam rationem, qua Eupolide usus esse Aristophanes arguatur, fugere nos non potest. Adeamus nunc ad vestigia, quibus haec res indicatur.

Jam Cratinus injurias sibi ab Aristophane quum aliis in fabulis, tum maxime in Equitibus illatas in Pytine fabula ulturus, illum Eupolideis uti dixit (ὡς τὰ Εὐπόλιδος λέγοντα, cf. schol. Equit. 528 et Meinekii hist. crit. p. 54). Praeterea ipse Eupolis in Baptis fabula se Equites fabulam cum Arist. fecisse contendit: κἀκείνους τοὺς Ἱππέας συνεποίησα τῷ φαλακρῷ τούτῳ κἀδωρησάμην. Quae ad verba scholiasta Nubb. 554 addit: λέγει δὲ τὴν τελευταίαν παράβασιν. Extremum et illud gravissimum argumentum, quod quaecumque modo attulimus communi quasi quodam vinculo conjungit, praebet schol. ad Equit. v. 1291, i. e. ad nostram parabasin, qui finem parabasis a verbis ὅστις οὖν τοιοῦτον ἄνδρα κ. τ. λ. a nonnullis Eupolidi tribui dicit. Tali modo verba scholiastae ad Nubb. 554 cum his correspondent, etsi ex illo loco totam parabasin alteram Eupolidis esse apparere videatur.

Haec omnia reputans Meinekius facere non potuit, quin Eupolidi hos versus (1288—1311) vindicaret, cum dicat (fragm. com. II, 1, 578): „Neque vero antiquos Aristophanis interpretes, quos scholiastae secuti sunt, totum hoc de

„Eupolide illorum potissimum versuum auctore temere fin-„xisse, sed certis et exploratis testimoniis tradidisse certis-„simum est.“

Sed, ut jam supra commemoravimus, ex ipsa hujus parabaseos indole, eam non ab uno eodemque poeta compositam esse, apparet. Facillime epirrhema et antepirrhema inter se comparans hoc intelliges; nam multum inter hoc et illud, inprimis quod attinet ad metricam rationem, interesse, neminem attento animo hos versus perlegentem fugiet. Satis erit, si Hermanni annotationes de tetrametrorum trochaicorum, qui sunt metrum harum parabasis partium, ratione universa (ep. doctr. metr. p. 47 et 48) cum his 32 versibus conferimus.

Prima lex est, tetrametros trochaicos catalecticos in fine secundae dipodiae caesuram habere, quam Hermanno docente comici saepe, tragici vero perraro negligant: addamus licet lyricos hoc numquam sibi indulsisse. Perlegas tragicorum tetrametros; quot versus invenies, qui caesuram negligant? Hermannus duo tantum exempla affert: Aeschyl. Pers. 165

ταῦτά μοι διπλῆ μέριμν' ἄ|φραστός ἐστιν ἐν φρεσίν.

Soph. Philoct. 1402:

N. *εἰ δοκεῖ, στείχωμεν.* Φ. *ὦ γεν|ναῖον εἰρηκὼς ἔπος.*

Sed errant Rossbachius et Westphalus (ars metrica p. 149), cum praeter haec exempla nullum apud tragicos inveniri contendant. Etiam in Antigona v. 360 canit chorus:

Ἅιδα μόνον
φεῦξιν οὐκ ἐπάξεται· νό|σων δ' ἀμηχάνων φυγὰς
ξυμπέφρασται

et in versu antistrophico v. 371:

μήτ' ἐμοὶ παρέστιος γέ|νοιτο μήτ' ἴσον φρονῶν
ὃς τάδ' ἔρδει.

Apud comicos, qui saepius quam tragici his tetrametris catalecticis utuntur, quum saepissime haec caesura negligitur, tum etiam Aristophanes ab hoc negligentia non abhorret. Neque vero in omnibus fabulis eodem modo res se habet. Nam quum primum poeta fabulas docere incepit, magis haec facere dubitasse videtur; in Daetalensium igitur vel Babyloniorum fragmentis semel tantum haec caesura neglecta est: in Daetalensium fragm. XVIII (ed. Bergk. — ed. Dind. fragm. 9):

—◡—◡|—◡— Ἐγ|νωκ' ἐγὼ δὲ χάλκιον
τοῦτό γ' ἐς τὸ κοτταβεῖον|ἱστάνει καὶ μυῤῥίνας.

Neque in Acharnensibus, Equitibus et Nubibus hoc ita saepe invenitur *).

In sequentibus vero fabulis, Vespis **), Pace ***), inprimis in ingeniosissima illa Avium †) fabula, quae referta est hilaritate, lepore et facetiis, paene innumerabilia hujus rei sunt exempla: nec in Lysistrata ††) ita pauca sunt. Quare Aristophanes in his fabulis illam legem de caesura prorsus neglexisse videtur. — In illis, quae supersunt, repente haec

---

*) Acharn. v. v. 235, 39, 86, 92 (si legimus cum Bergkio ἀκούσατ' pro οὐκ οἶδατ'); 335: Nubb. v. v. 580,91; 607, 9, 20, 24, 25; 1117: de Equitibus vid. infra.

**) Vesp. v. v. 336, 69, 70; 402, 9, 17, 27, 32, 45, 59, 72, 77, 84, 95, 97; 500, 2, 4, 5, 12, 21; 1072, 87; 1110, 1115. —

***) Pac. v. v. 300, 2, 23; 558, 60, 61, 67, 68; 620, 32, 45, 50; 1140, 46, 54, 73, 75, 78, 83, 87. —

†) Av. v. v. 272, 79, 81, 92, 94, 98; 308, 42, 54, 60, 66, 72, 73, 83; 785, 88, 91, 94, 98, 99; 1074, 79, 80, 86; 1101, 6, 10, 13, 14, 15, 17. —

††) Lysitr. v. v. 631, 33, 37, 53, 54, 61, 62; 700, 4; 1014, 1033. —

negligentia quasi vetustate extabuisse videtur, nam excepto Pluto, qui prorsus caret his tetrametris, in Thesmophoriazusis, Ranis et Ecclesiazusis semel tantum invenitur (Thesm. v. 845; Ran. 1108; Eccles. 1155).

Quae quum ita sint, facere non possumus, quin etiam hoc loco tripartitionem illam recordemur Bergkii, qui (fragm. p. 7 sqq.) sic loquitur: „Jam vero si secundum temporis „ordinem Aristophanis comoedias et integras et quarum re„liquiae tantum exstant, accuratius perlustramus, facile „animadvertimus, non continuo et praecipiti quasi cursu, sed „sensim et *per gradus* poetam ad summum perfectae artis „fastigium pervenisse.“ (Conferas licet Equit. parab. v. 541 etc. et Bergk. fragm. p. 28). „Atque quemadmodum anti„quae atticae comoediae tria sunt genera discreta inter se ac „diversa, ita licet etiam in principe poeta easdem vicissitu„dines animadvertere: tribus igitur spatiis Aristophanis poesin describere volumus etc.“ Primum genus fabulae antiquiores sunt, quae „quamvis propius ad veritatem ipsius„que vitae consuetudinem accedant, tamen gratia illa atque „lepore, qui decet poetam, minus sunt insignes. Ad hanc „igitur aetatem pertinent Daetalenses, Babylonii, Acharnen„ses, Equites, Holcades, et si vis, Nubes priores.“ Secundum genus illas fabulas complectitur, in quibus „non res „uti gestae sunt repraesentat“ poeta aetate provectior, „sed „pro arbitrio ingeniosa quadam audacia fingit ac refingit. — „Severitas illa atque austeritas, quae in prioribus comoediis „eminet, temperata est hilaritate et facetiis lepidissimis, om„nia — redundant lepore et jocis satis urbanis.“ Haec est illa poetae nostrae aetas qua viguit omnibus comicis artibus et maxime floruit, atque hac aetate poeta protulit fabulas ingeniosissimas illas, in quibus eum non semper ita accurate

leges metricas curasse jam supra cognovimus. — Ad tertium genus fabularum Bergkius eas refert, „quas poeta jam „senior composuit post olymp. XCIII 3, et quae, etsi sunt „nec inelegantes nec illepidae, inventi tamen novitate quo„dammodo caruisse videntur.“ Hoc ad genus eae fere fabulae pertinent, quas ultimas nominavimus, etsi haec Bergkii fabularum singularum distributio non prorsus in ea quadrat, quae supra exposuimus. Sed haec hactenus de tribus illis generibus.

Hanc rem, quae per se aliena ab hoc loco esse videtur, ea de causa fusius tractavimus, ut poetam nostrum non in omnibus fabulis eundem esse demonstremus, neque semper eadem et ea certa regula uti, sed nonnullis in rebus diversis temporibus diversa laudasse et secutum esse; quae res, etsi tragicum poetam non decet, tamen a comoediae consuetudine non abhorret. Quare non semper ex alia in aliam fabulam argumenta assumere licet, sed, ut hoc loco, ipsa tantum fabula, de qua agitur, perlustranda est. Missa igitur faciamus quae aliis in fabulis poeta de caesura illa observanda vel negligenda sentire videtur, nec ita magnam earum rationem habentes acquiescamus in Equitibus solis.

Hic caesura negligitur, si parabases praetermittimus, quater in illis verbis Cleonis (v. v. 206, 275, 278, 314), qui summa iracundia et invalido furore contra chorum saevit. Quam animi affectionem poeta non solum caesura neglecta, verum etiam solutionibus illis longarum syllabarum exprimit, quas saepissime his in versibus invenimus. Quare non est, quod multam vim huic rei tribuamus, nam chorus nusquam hoc loco caesarum neglegit. Aliter res se habet in parabasibus; hic tetrametri κατὰ στίχον adhibentur. In Acharnensium parabasi semper caesura servata est, in Ve-

sparum parabasis **40** tetrametris quater tantum (**10**:**1**), sed in ceteris circiter **100** tetrametris vicies semel negligitur (**5**:**1**). Eodem modo ex omnibus fere ceteris fabulis Aristophanem in parabasi magis hanc legem negligere dubitasse quam in reliquis fabulae partibus demonstrari potest: quare nescio, cur R. et W. dicant (p. **149**), comicos inprimis in parabasibus hanc legem non observare. Sed rejecimus supra ceteras fabulas, quare ad Equites revertamur. — In prima parabasi caesura semel negligitur (v. **572**) inter **32** tetrametros:

εἰ δέπου πέσοιεν ἐς τὸν ὦμον ἐν μάχῃ τινί,
τοῦτ' ἀπεψήσαντ' ἄν, εἶτ' ἠρ|νοῦντο μὴ πεπτωκέναι,

in alterius parabasis epirrhemati nusquam, sed in extremis **16** versibus, qui Eupolidis esse dicuntur, quater:

1307. *Ἀποτρόπαι', οὐ δῆτ' ἐμοῦ γ' ἄρ|ξει ποτ', ἀλλ' ἐάν με χρῇ·*
1308. *Ὑπὸ τερηδόνων σαπεῖσ' ἐν|ταῦθα καταγηράσομαι,*
1309. *Οὐδὲ Ναυφάντης γε τῆς Ναύ|σωνος, οὐ δῆτ', ὦ θεοί,*
1311. *Ἢν δ' ἀρέσκῃ ταῦτ' Ἀθηναί|οις, καθῆσθαί μοι δοκεῖ —*

i. e. inter quattuor versus semel.

Sed transeamus ad aliam legem. Constat, solutiones longarum syllabarum saepius in primo cujusque dipodiae pede inveniri, quam in altero. In epirrhemati talem solutionem in altero pede non sibi indulsit poeta, sed bis in antepirrhemati hoc admissum est (v. **1308** *καταγηρ* — et v. **1314** *ἐς κορακας εἶ* —). Ceterum etiam alias apud Aristophanem talis solutio nobis occurrit, ut in prima hujus

fabulae parabasi (v. 565 τοὺς πατέρας ἡμῶν, ὅτι — v. 573 ἀλλὰ διεπάλαιον αὖθις. — v. 600 οἱ δὲ καὶ σκόροδα καὶ κρόμμυα).

Praeterea in hoc tetrametro ante ultimam dipodiam non terminari verbum ex pluribus syllabis constans in syllabam longam, observavit Porsonus (praef. ad Hec. p. 47), quam legem etsi tragici religiosissime servent (praeterquam Hel. 1644), tamen comici negligere non dubitent. Quare non est, quod apud Aristophanem hoc non inveniri credamus, atque quicumque his rebus operam navavit, jam ipsum Porsonum locum ex Nub. (577), quo etiam Hermannus utatur, afferre scit:

πλεῖστα γὰρ θεῶν ἁπάντων ὠφελούσαις τὴν πόλιν.

Hoc loco, in antepirrhemati, tres exceptiones observantur: v. 1300 τριήρεις, v. 1311 καθῆσθαι, v. 1313 ἐγχανεῖται, contra in epirrhemati una tantum exstat v. 1276 ἀκοῦσαι, neque hoc tibi multum offensionis praebebit, rationem atque indolem syllabarum οι et αι consideranti. Nihilominus haec exempla (ἀκοῦσαι atque etiam καθῆσθαι et ἐγχανεῖται) huc pertinent, nam has syllabas οι et αι in fine verborum, etsi, quod attinet ad accentum grammaticorum, breves sint, tamen per se nusquam, quod attinet ad metricam rationem, a poetis ita usurpari, sed per se ut omnes diphthongos semper longas esse quis nescit? Noli me hoc dicentem oleum et operam perdidisse credere, candide lector: sunt qui hoc nesciant. — In prima Equitum parabasi bis haec regula negligitur: v. 601 ἡμεῖς οἱ βροτοὶ et v. 606 ἀντὶ ποίας Μηδικῆς; in reliqua fabulae parte ter non est observata v. 266 — δι' ὑμᾶς τύπτομαι, v. 283

— οὐκ ἠξιώθη πώποτε, et v. 394 — κἀποδόσθαι βούλεται. In Acharnensibus tria tantum exempla insunt (v. 296, v. 343 et in parabaseos v. 680), in Nubibus quattuor (v. v. 577, 624, 625, 1118); in sequentibus fabulis, Vespis, Pace, Avibus saepissime haec regula negligitur, in Lysistrata ter (v. v. 650, 661, 702), in Ranis bis (v. v. 725 et 26), in Thesm. et Eccl. nusquam. Haec omnia reputanti non fortuito tibi in fabulis primi et tertii generis tam raro poeta hujus legis rationem non habuisse videbitur, sed ex iis quae antecedunt eum in primis et in ultimis fabulis scribendis magis illam legem negligere dubitasse intelligimus. Quare prope suo jure admirationem nostram movere debet illud antepirrhema, in cujus 16 versibus ter tales exceptiones inveniuntur. Sed haec hactenus de rebus metricis.

Jam supra non singulum quodque quod attulimus argumentum per se nobis, ut hos versus Aristophani abjudicemus, persuadere posse commemoravimus; conjungenti vero haec omnia atque praeter omnes has metricas observationes etiam ionicas illas formas ὦ ἄνα (v. 1297) et ἀνέρων (v. 1295), quas nusquam praeter hunc locum apud Aristophanem invenies*), respicienti tibi non fortuito tot res in paucis tantum versibus, quae ab Aristophanis consuetudine alienae esse videantur, accumulatas esse posse elucebit, nec facere poteris, quin horum versuum Aristophanem auctorem non esse suspiceris. Addas nunc scholiastarum illas adnotationes, quas supra tractavimus: suspicio in rem satis certam mutata est. Jam vero illud Fritzschio concedere licet,

*) De ionicis formis apud Aristophanem cf. Kockii adnot. ad v. 1296.

antistropham carere Aristophanis illa facilitate et habere obscuriorem quandam orationem. Quare nullo modo de scholiastae fide hoc loco dubitandum est, neque est, cur non hos versus (1288—1315) Eupolidi tribuamus. Eadem de causa Fritzschius non mihi persuasit, cum contendat, non ἐκ τοῦ „ὅστις οὖν“ sed ἐκ „Ἦ πολλάκις“ Eupolidis versus subsequi. Kockius (praef. p. 27) non antodam et antepirrhema, sed odam et antodam ab Eupolide confectas esse credit, cujus rei quum causas non afferat, talis conjiciendi ratio mihi justo levior esse videtur. Assentiri vero debemus ei in eo, quod mirum est, Aristophanem non ipsum epirrhema ad finem perduxisse, sed jam duos extremos versus illos ab Eupolide mutuatum esse; sed quum scholiasta id dicat, facere non possumus, quin hoc loco id ei credamus.

Facile concedimus Fritzschio (p. 230), comicos quum ceteros, tum etiam Aristophanem, fabula perfecta, parabasin omnium ultimam scripsisse, id quod eo facilius fieri potuit, cum haec fabulae pars nullo modo cum ceteris cohaereat, ut etiam nos in edendo quodam libro praefationem ultimam scribimus. Quare si quaeris, cur Aristophanes ad verbum hoc loco Eupolide usus sit, nil aliud ad hanc rem explicandam tibi respondere possum, quam quod Fritzschius dicit: „Aristophani quum in eo esset, ut Equites doceret, multa „simul agenda fuisse, idcirco quoniam tum ipse, cum nul„lus histrionum Cleonis partes in se ausus esset suscipere, „histrionem facere ipse coactus esset. In tantis igitur tem„porum angustiis illum ex Eupolide petiisse, ut sibi antistro„pham et antepirrhema posterioris parabasis scriberet.“ — Aliter hac de re sentit Struvius (de Eupolidis Maricante sive de Aristophane accusatore et Eupolide plagii reo), qui

(p. 24) praefracte ante Equites doctos Aristophanem et Eupolin amicitiae vinculo conjunctos fuisse negat et sic potius statuendum esse arbitratur de Eupolidis illis versibus, Aristophanem, cum Equites componeret, ex Eupolidis fabula quapiam versus illos 1288—1311 suae comoediae inseruisse, aemulos secutum, qui alienis plumis se ornare non dubitarent, sed ea libenter assumerent, quae ab aliis lepide et facete essent inventa.

Sed Eupolis quoque, ut etiam hac de re nonnulla verba faciam, Aristophane usus sit necesse est. Nam Ar. quoque in parabasi Nubb. II 550 dicit: ἐκστρέψας τοὺς ἡμετέρους Ἱππέας κακὸς κακῶς atque his verbis Eupolin in Maricante fabula Equites expilasse arguit. Eodem modo post Baptas fabulam doctam in Anagyro (Bergk. fragm. 18, p. 76 — Dindorf. fragm. 149) dicit: ἐκ δὲ τῆς ἐμῆς χλανίδος τρεῖς ἀπληγίδας ποιῶν (Maricantem, Autolycum et Χρυσοῦν γένος, cf. Fritzschius, quaest. Arist. I, p. 143, 10). De tota peracerba illa rixa inter Aristophanem et Eupolin et imprimis de eo, uter eorum fur et expilator dicendus sit, fusius disseruit, sed non satis apte, Struvius in libello, quod jam supra commemoravimus. Neque vero Fritzschius mihi recte de Aristophane judicare videtur, cum in alteram partem peccet et Aristophanem omni culpa vacare contendat (aut Eupolin fuisse aut neutrum furem dicit p. 144). Eupolin maxime iratum fuisse constat, nam totam fabulam Baptas contra Aristophanem scripsit, ex qua nonnulla fragmenta ad Aristophanem pertinentia supersunt. Sed etiam in ipso Maricante II Eupolis Aristophanis accusationes refutasse videtur, si cum Struvio (p. 42 etc.) hos versus quos infra posui, ex Maricantis parabasi superesse credimus:

Ἀλλ' οὖν ἔγωγέ σοι λέγω, Μαρικᾶντα μὴ κολάζειν.

Praeterea Struvius ex verbis ab Apollon. de pronom. p. 369 servatis: Νῷ γὰρ ἄνδρες, οὐχ ἱππεύομεν, quae metro carent, et ex Suidae et Zonarae adnotationibus de voce ἀναγχιππεῖν hosce tetrametros trochaicos restituit:

Νῷ γὰρ ἄνδρες οὐχ ἕκοντες οὐδαμῶς ἱππεύομεν
ἀλλ' ἀναγχιπποῦμεν (ex Struvii emendatione p. 42).

Per se intelligitur, quaecumque modo sint exposita, nullo modo gloriam alterius obscurari. Ambo tam magni comici fuerunt, ut principatum eorum nullo tempore quisquam in controversiam vocare possit; quare omittamus quaerere uter major fuerit atque ab Aristophanis illis 43 (Bergk. fragm. p. 13) vel 37 comoediis undecim tantum, ab Eupolidis vero fabulis nullam integram nobis traditam esse doleamus.

SCHEDARUM ARISTOPHANEARUM

SPECIMEN III.

Nubb. parab. v. 523:

οὕτω νικήσαιμί τ' ἐγὼ καὶ νομιζοίμην σοφός,
ὡς ὑμᾶς ἡγούμενος εἶναι θεατὰς δεξιοὺς
καὶ ταύτην σοφώτατ' ἔχειν τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν,
π ρ ώ τ ο υ ς ἠξίωσ' ἀναγεῦσ' ὑμᾶς, ἣ παρέσχε μοι
ἔργον πλεῖστον· εἶτ' ἀνεχώρουν ὑπ' ἀνδρῶν φορτικῶν
ἡττηθείς, οὐκ ἄξιος ὤν. —

Haec est lectio vulgata, Edd. veterum et Codd. auctoritate suffulta, nec ullus v. v. doctorum ante Welckerum et Hermannum in ea offendit. Optimo vero jure haeserunt hi viri quos modo nominavi in voce illa πρώτους, cujus vis iis aliena esse a recta hujus loci interpretatione videbatur.

Nam, ut breviter repetam quae jam satis dilucide hoc de loco disputata sunt, si poeta illos Nubium spectatores primos dicit, quaeritur quinam sint secundi, quinam tertii etc., nam illi primi sunt cives Athenienses, cum acta sit fabula Dionysiis urbanis. Potuit quidem alibi quoque, in Piraeeo aliisve ruralibus Dionysiis vel alia in urbe poeta fabulas suas docere; neque vero verisimile est, eum hoc fecisse vel unquam facere voluisse, praesertim cum, ut hoc loco, novam vel, id quod idem est, emendatam et iteratam

quandam fabulam doceret, „nam sic“, ut jam Hermannus admonet (ed. Nub. praef. XXXI), „novitatis detracta esset gratia“. Praeterea ne constat quidem, „novas fabulas prius aliis in locis in scenam productas esse, quam Athenis spectandae adhiberentur.“ Contra in Piraeeo, Διονυσίοις τοῖς κατ' ἀγρούς veteres tantum fabulas actas esse nobis conjicere licet (cf. Aelian. V. H. II, 13. Böckh. comment. de Antigona p. 200 sqq.), dum Dionysiis magnis novae docerentur (τραγῳδοῖς καινοῖς — cf. Bernhardy lit. gr. hist. II, 2, 119 fin., 131 med., 141 in.).

Non est igitur quod Aristophanem fabulam quandam Piraeeo destinasse credamus, nam „de tali more nil compertum habemus, neque hoc dignum est persona Aristophanis.“ Nil igitur diceret, si eo se commendare vellet, quod fabulam suam non ante in Piraeeo docuisset, sed eam primis Atheniensibus spectandam (vel iterum spectandam) traderet, et eadem de causa eum hoc non dixisse, hac re non se commendare voluisse, neque hoc loco ipsa Aristophanis verba nobis tradita esse conjicere nobis licet. Hoc est illud argumentum quod pertinet ad res quas hi versus continent, quodque v. v. doctos commovit, ut vocem πρώτους corruptam esse crederent (cf. Herm. praef. XXX med. — XXXII fin.).

Si vero forsitan quis dicat, haec omnia non sufficere ad vulgatam lectionem jure mutandam, audiat porro. Ipsa verba in iis corruptelam latere indicant. Etiamsi Nubes in Piraeeo vel alibi doctae sint vel doceri potuerint, — demus hoc illi, non concedendo, sed largiendo —, tamen vox πρώτους servari non potest, nam sic quoque propter sensum mutatio postulatur. Si versus illos sic vertere possemus: „Ita vincam, ut quum et vos spectatores intelligentes et hanc fabu-

iam optimam mearum esse crediderim, vos dignos habui, qui primi illam gustetis (vel iterum gustetis)", si tali modo vertere possemus, optimus inesset sensus in his verbis. Tum vero poeta non dicere debebat ἀναγεῦσ' ὑμᾶς, sed ἀναγεύσασθαι ὑμᾶς, nam hoc loco ὑμᾶς non est subjectum, sed objectum propter activum ἀναγεῦσαι, quod non significat „gustare" sed „gustandum aliquem curare", ut vertendum sit „vobis apponere"; neque ἀξιόω per se, non addita persona quae digna habetur aliqua re, significare potest „dignum habere aliquem". — Revertamur igitur a versione „dignos vos habui qui primi illam gustetis" et adeamus ad alteram, ut exemplum edam, ad illam Kockii, qui voce ὑμᾶς recte objecto utitur. Sic vertit (p. 79): „*So wünsche ich den Sieg, wie ich in dem Glauben an die Richtigkeit eures Urtheils und an die Schönheit meiner Komödie euch sie zuerst* (*nach ihrer Ueberarbeitung wieder*, hac de re vid. infra) *darbringen zu müssen glaubte.*" Ne hoc quidem ferri potest, nam ἀξιόω non significat „*ich glaube zu müssen*". Duplex est vis hujus vocis. Tantum si cum objecto conjuncta invenitur, significat — id quod per se intelligitur — „*etwas für werth, würdig halten*", si genitivus quidam additus; omisso illo, „*achten*, *ehren*". Altera significatio, non addito objecto, est „*wollen*, *verlangen*, *glauben*, *für Recht* (*billig*) *halten*," neque vero „*für billig halten*" idem est ac „*für nöthig halten*" vel „*zu müssen glauben*".

Quare etiam Kockii versionem, etsi bonum sensum praebet, rejicere debemus, nam eorum versuum in una altera vocabuli ἀξιόω vi posita recta interpretatio est. Sed ne sic quidem locus ille sanari potest, nec ullum omnium ver-

naculorum vocabulorum, quibus illam alteram vocis ἀξιόω significationem reddere possumus, hoc loco aptum est. Vertamus exempli gratia: „*So wahr ich zu siegen wünsche, habe ich* (*nur*) *in dem Glauben an die Richtigkeit eures Urtheils und an die Schönheit meiner Komödie euch sie zuerst vorsetzen wollen* (vel *es für billig gehalten, sie euch zuerst vorzusetzen*), *die mir die meiste Mühe machte; darauf wurde ich besiegt*". Nonne haec versio discrepat a veritate, nam non solum voluit hoc facere poeta, sed revera fecit? Nonne praeterea talis asseverandi ratio inepta est? Quid hoc sibi vult: „*Weil ich euch für kunstverständige Richter und dieses Stück für das beste unter meinen Komödien hielt, hielt ich es für billig, dasselbe euch zuerst vorzusetzen* (vel *wieder vorzusetzen*); — — — *darauf* (vel *gleichwohl*, εἶτα *cf. Kock.* ad v. 524) *wurde ich besiegt.*" Vocula „*darauf*" vel „*gleichwohl*" non bonum sensum praebere videtur, multo vero minus hoc loco voculae „*wollen*" vel „*glauben*" aptae sunt. Dubium igitur non est quin vox πρώτους vitio laboret atque rejicienda sit.

Antequam vero ad hunc locum sanandum adeamus, inprimis videtur breviter disputandum de vocis ἀναγεῦσαι vi ac significatione. Nam discrepare inter se v. v. docti videntur, utrum hoc vocabulum significet „gustandum praebere" an „iterum gustandum praebere". Optimus semper judex est sensus ac nexus sententiarum; quare illum primum audiamus. Per se verisimilius videtur, ἀναγεῦσαι non idem significare ac simplex γεῦσαι, sed vim iteratae gustationis habere; videamus igitur, quomodo hoc in sensum quadret.

Satis constat, parabasin propriam (v. 518—562), quae nunc nobis ante oculos posita est, nondum in prima Nubium

editione, ut ita dicam, infuisse, sed postea a poeta, fabulam suam ad alteram commissionem parante, additam et insertam esse (cf. Herm. praef. XIV med. et Bernhardy II, 2, 572 med.), nam victam esse dicit fabulam quam doceret (εἶτα ἀνεχώρουν — ἡττηθείς), id quod in prima commissione eum dicere non potuisse facile quisque intelliget. Altera vero quaestio est, spectentne etiam versus illi qui proximi antecedunt (a. v. 524) ad primam commissionem an ad illam novam, quam poeta parabat. Vox εἶτα postulat, poetam illo quoque loco de prima commissione loqui, nam εἶτα est „postea", quare ea quae antecedunt, antea facta sint necesse est. Quoad enim spectat illud εἶτα? Nonne ad ea quae antecedunt? Neque vero solum ad verba ἣ παρέσχε μοι ἔργον πλεῖστον, ut Kockius vult (tum etiam alio modo interpungere debebat), sed ad totam sententiam quae antecedit. Hoc dicit poeta: „Vobis primis fabulam illam apposui, tamen victus sum." Si vero dixisset: „Vobis primis fabulam illam denuo apposui", pergere non potuisset: „tamen victus sum". — Atqui cur dicit ἀναγεῦσαι, cur non usus est simplici γεῦσαι, quod usitatissimum est, illud non? Nonne hac ipsa re ipse iterationem indicare voluisse videtur? Optime difficultas tolli posset, si alias quoque hac voce uteretur Aristophanes, sed nec apud illum in undecim fabulis integris cum fragmentis quae supersunt, nec in tota graecae linguae monumentorum quae nobis restant copia haec vox denuo invenitur; est ἅπαξ εἰρημένον.

Ingrediamur igitur viam analogiae quam dicunt. Sunt profecto complura verba, quorum compositio cum praepositione ἀνά iterationis vim habet*), ut per se etiam Aristo-

---

*) ut ἀναβιόω *wieder aufleben*, ἀναβρέχω *wieder benetzen*,

phanes, praesertim cum voce γεῦσαι vel γεῦμα saepius utatur, (Acharn. 187, 188, 191), hoc loco tali modo voculam ἀνά intelligi voluisse possit. — Noli vero haec analogiae argumenta tanti habere: praeterea quaeritur, quomodo Aristophanes ipse hac voce ἀνά utatur in verborum compositione, neque semper vox quaedam omnibus temporibus eandem significationem habet. Praeterea vocula ἀνά in compositione adhuc alias significationes habet; praeter „iterum" etiam significat „sursum" (ἀναβαίνω — καταβαίνω); saepius etiam prorsus nihil significare videtur et, ut Hermanni verbis utar (p. XXX), idem propemodum est quod simplex, initii aliqua significatione adjuncta, ut ἀναβιβρώσκω *anfressen*, ἀναγγέλλω *melden*, ἀναγλυκαίνω *versüssen*, ἀνακαίω *anzünden*, ἀναμιμνήσκω *erinnern*, ἀναχαίνω *gähnen*, ἀναχέω, ἀναχωρεύω, ἀναψύχω, ἀναδιδάσκω etc. Jam intelliges variam ac multiplicem vim hujus vocis ἀνά esse in compositione, et saepius tempus edax rerum, ut Ovidius ait, priorem significationem prorsus delevisse. Ipse Aristophanes saepissime tali modo vocula ἀνά utitur (Nubb. v. 152 ἀνεμέτρει, 203 ἀναμετρεῖσθαι, 304 ἀναδείκνυται, 470 ἀνακαινοῦσθαι), neque in tota Nubium fabula ullum cui vis iterationis insit exemplum invenies, nisi forte tales voces ut ἀναπείθω huc pertinere credis. Immo vero vox ἀναδιδάσκειν, quae plerumque significat „*eines Besseren belehren*" et postea apud Philostratum vim illam habet iteratae commissionis, quam nonnulli v. v. docti pro voce ἀναγεῦσαι vindicare volunt (cf. Blomf. praef. Perss. Aesch. p. 26. — schol. Ar. Ran. 1060); haec ipsa vox ἀναδιδάσκειν

ἀναγνάπτω *wieder aufkratzen*, ἀναδιδάσκω *umlernen*, *von neuem aufführen*, ἀναθαυμάζω, ἀναθερμαίνω etc.

apud Ar. nil aliud significat ac simplex διδάσκειν (cf. Plut. 563 et Equ. 1040). Sed haec hactenus. Si vis argumentorum ex analogia major esset, copiosius nos hanc rem tractare necesse esset. Nunc vero jam ex iis quae modo exposita sunt intelliges, ex analogia nullum argumentum contra nostram interpretationem assumi posse neque id nobis obstare, quod Ar. praeter ἀναγεῦσαι etiam simplici γεῦσαι utatur.

Ultimum testimonium est scholiasta, qui vocem ἀναγεῦσαι sic interpretatur: διατάξαι τὸ δρᾶμα· ὡς ἐπὶ βρώματος δὲ εἶπεν, idemque legitur in glossa cod. Leid. δεῖξαι ὑμῖν ταύτην, qua ex adnotatione Ruhnkenius vocem διατάξαι quam credidit corruptam esse emendari volebat (Herm.). Quidquid id est, hoc perspicuum est, etiam scholiastam vocem ἀναγεῦσαι pro symplici γεῦσαι habuisse. Quare noli offendere in eo quod Hermannus (p. XXX et XXIII) et alii v. v. docti hoc verbum, „quo minus usitatum est, eo magis proprio ac naturali significatu de iterata gustatione intelligendum" crediderunt neque de repetita editione ipsoque eo tempore, quo haec parabasis recitaretur, quin cogitaverit Aristophanes dubitaverunt. Stemus contra a partibus scholiastae quem dicunt, ut majorum genere dicendi utar, qui melius quaenam sit vis vocis ἀναγεῦσαι dijudicare potuit, cuique major copia monumentorum linguae graecae praesto erat quam nobis. Tantum igitur abest ut Hermanno, Kockio, aliis hoc loco assentiamur, ut nullam fere causam ad eorum sententiam accipiendam exsistere credamus; nam si id quod sensus utique postulat, a scholiasta probatur atque fulcitur, non est quod dubitemus. De prima igitur commissione hoc loco poeta loquitur atque ἀναγεῦσαι

est, „*gustandum praebere*“, neque vero „iterum gustandum praebere“.

Sed ne sic quidem illud πρώτους ferri potest; adhuc quaerimus, quid sibi velit. Quare Hermannus conjecit πρώτως, quod corrector in uno ex Dobraei codicibus scripsit (Herm. p. XXXII), et sic vertit: „Ita vincam, ut hanc comoediam, quia omnium mearum optimam esse puto, iterum ad vos affero“. Duplex est causa, cur hoc nobis non placet, primum quia vox πρώτως inusitatissima est (cf. Lob. Phryn. 311), deinde quia hoc non bene in sensum quadrat. —

Quinam sensus inesse debet in his verbis? Nam eorum omnium malorum in uno sensu posita sanatio est. Cum de prima commissione loquatur poeta, dicere potuit: „*In dem Glauben an die Richtigkeit eures Urtheils und die Schönheit meiner Komödie habe ich sie euch „das erste Mal“ vorgesetzt* (i. e. *als ich sie zum ersten Male aufführen liess*); *gleichwohl* (*obgleich ich nun zu siegen hoffen zu können glaubte*) *wurde ich besiegt*, *ohne es verdient zu haben: jedoch ich trage euch dies nicht weiter nach*“ (ἀλλ' οὐδ' ὥς ὑμῶν ποθ' ἑκὼν πρωδώσω τοὺς δεξιούς). Si hoc acciperes, in πρώτους latere deberet forma quaedam quae significet „*zuerst*, *das erste Mal*“ i. e. τὴν πρώτην, πρῶτον (τοπρ.), πρῶτα (ταπρ.), πρώτως, neque ulla harum formarum, exceptis illis quibus articulus praepositus est, a metro abhorreret, nam, ut jam Hermannus docet (p. 72 infra), in basi hujus metri Eupolidei polyschematisti omnes pedes bisyllabi promiscue adhibentur. — Πρώτως jam rejecimus: quod attinet ad ceteras voculas, confitendum est, in illa significatione qua eas hoc loco usurpatas esse volu-

mus, articulum non ita saepe omitti (cf. K. W. Krüger, gr. gr. 46, 3, 2 et alibi), meliusque poetam dixisse „τὸ πρότερον."

Igitur ne haec quidem interpretandi via approbanda est: sed restat altera et ea probabilissima. Ponamus, illam sententiam, quae vocem πρώτους contineat, nobis traditam non esse, atque textum talem sententiarum conjunctionem praebere: „Ita vincam, uti quum vos spectatores intelligentes et hanc fabulam optimam mearum esse crediderim, — — —, sed victus sum." Quomodo haec lacuna explenda erit? Ex voce εἶτα et ex tota sententiarum conjunctione sequitur, poetam hoc loco dicturum fuisse, se primum fabulam docentem illam, aliquid expetivisse vel exspectasse quod ei non contigerit, neque ita acrem in omnes partes intendere aciem opus est, ut quidnam exspectaverit cognoscamus. *Se primum victurum* exspectavit poeta et prope suo jure id exspectare posse credidit, quum et spectatores intelligentes et fabulam optimam suarum omnium esse putaret.

Nemo mirabitur, jam Hermanno hanc rectam interpretationis viam in mentem venisse. Dicit (p. XXXI in.): „Omnino autem, si de prima commissione sermo est, aptius diceret (sc. poeta), praemio se primo sibi dignum esse visum. Et conjiciat quis forsitan legendum esse π ρ ῶ τ ο ς ἠξίωσ' ἀναγεῦσ' ὑμᾶς, quia usitatum fuerit dici de poetis, πρῶτος, δεύτερος, τρίτος ἦν." Obscurius vero atque insolentius hoc dictum esse recte censuit: modo aliter eundem sensum ex verbis restituere conatus esset! Sed haesit et conjecit πρώτως. Bergkius in prima Aristophanis editione conjecit: καὶ ταύτην σοφώτατ' ἔχειν, τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν π ρ ω τ ε ῖ, ἠξίωσ' ἀναγεῦσ' ὑμᾶς, qua ex re intelligitur,

etiam cum hac de re cogitasse. Sed eodem modo quo Hermannus illud πρῶτος insolentius dictum esse putavit, ne haec quidem Bergkii conjectura πρωτεῖα eadem de causa probabilis esse mihi videtur, etiamsi aliter interpungere mihi liceat, neque ipse Bergkius postea eam probasse videtur, nam in altera editione conjicit π ρ ώ τ η ν atque tali modo proxime ad veritatem accedit. Eodem modo jam antea Kockius πρώτην scribendum esse censuit, sed mirum in modum hanc conjecturam valde probabilem perperam interpretatus est, nam πρώτην cum τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν conjungit et dicit (ad v. 523): „*A. wollte vor allen andern Versu-* „*chen mit neuen Komödien sein verunglücktes Stück zu-* „*e r s t wieder zur Darstellung bringen.*“ Hanc ad Kockii interpretationem mihi Bergkii adnotatio (p. XIX) pertinere videtur, qui dicit, se nunc πρώτην malle, quod alii quoque conjecerint, sed *parum recte interpretati sint.* Atqui quomodo Bergkius interpretatur hoc πρώτην? Quonam alio modo illud usurpatum esse potest?

Jam Hermannus illam Graecam consuetudinem atque dicendi rationem πρῶτος ἦν commemorat, qua aliquem primum vicisse indicatur, quamque saepius in didascaliis legimus. (Cf. Acharn. hypothesin primam: „ἐδιδάχθη — — διὰ Καλλιστράτου· κ α ὶ π ρ ῶ τ ο ς ἦν (i. e. Callistratus primo praemio dignus habitus est)· δεύτερος Κρατῖνος Χειμαζομένοις· τρίτος Εὔπολις Νουμηνίαις“). Nonne igitur etiam dici potest: fabula πρώτη ἦν? Ergo πρώτην ἠξίωσ' ἀναγεῦσ' ὑμᾶς significat: „Credidi me vobis apponere fabulam primariam“, i. e. „fabulam quam primo praemio dignam vos habituros credidi.“

Unum illud restat, ut sic ἀναγεῦσαι cum accusativo rei pro genitivo conjungatur. Etsi hoc quoque cadit in

Graecorum consuetudinem — nam Kockius affert locum ex Euripide (Cycl. 149: βούλει σε γεύσω ἄκρατον μέθυ;) — tamen multo usitatior est genitivus rei. Scribamus igitur πρώτης, cum praeterea multo facilius pro voce πρώτης quam pro πρώτην vox πρώτους per oculorum errorem scribi potuerit, ut ipse Aristophanes sic scripsisse videatur:

οὕτω νικήσαιμί τ' ἐγὼ καὶ νομιζοίμην σοφός,
ὡς ὑμᾶς ἡγούμενος εἶναι θεατὰς δεξιοὺς
καὶ ταύτην σοφώτατ' ἔχειν τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν,
πρώτης ἠξίωσ' ἀναγεῦσ' ὑμᾶς, ἣ παρέσχε μοὶ
ἔργον πλεῖστον· εἶτ' ἀνεχώρουν ὑπ' ἀνδρῶν φορτικῶν
ἡττηθείς, οὐκ ἄξιος ὤν. — — —

i. e.

Sic ego vincam et aestimer sapiens,
uti vos ducens spectatores intelligentes esse
et hanc sapientissimam mearum comoediarum
primo praemio dignam me vobis apponere credidi, quae exhibuit mihi
maximum negotium: post secessi a viris rusticis
victus indigne. — — —

Typis Ratii.

